



Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

122. Ut nemo pro sepultura quicquid exigat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Ut nulla præmia pro baptizandis requi-
rantur. *Ex epistola Gelasij Papæ.*

Decreta Ge-
laf. c. 5.
Burchard.lib.
4. c. 71.

C X X I . Baptizandis consignandisque fi-
delibus pretia nulla præfigant , nec inflationi-
bus quibuslibet impositis exagitare cupiant re-
nascentes : quoniam quod gratis accepimus,
gratis dare mandamur. Et ideo nihil à prædi-
catis prorsus exigere moliantur , quo vel pau-
pertate cogente deterriti , vel indignatione
vocati , redemptionis suæ causas adire despi-
ciant ; certum habentes quòd qui prohibita
admisissæ fuerint deprehensi , vel commissa
non potius sua sponte correxerint , periculum
subituri proprij sint honoris.

Ut nemo pro sepultura quicquid exigat.
Ex epistola Gregorij Papæ.

S. Gregor.lib.
7. Indict. 2.
epist. 55.
Capitulare
Ahytonis c.
24.

C X X I I . Grave nimis & procul est à sa-
cerdotis officio pretium de terra concessa pu-
tredini querere & de alieno velle facere luctu-
compendium. Hoc autem vitium & nos , post-
quam Deo auctore ad episcopatus honorem
accessimus , de Ecclesia nostra omnino vetui-
mus , & pravam denuo consuetudinem nequa-
quam usurpari permisimus , memores quia
dum Abraham à filiis Ephron , hoc est , filio
Seor , sepulcri pretium ad humandum corpus
conjugis postularet , pretium accipere renuit,
ne commodum videretur de cadavere conse-
cutus. Si ergo tantæ considerationis paganus
vir fuit , quanto magis nos , qui sacerdotes di-
cimur , hoc facere non debemus ? Unde hoc
avaritiæ vitium ne vel in alienis denuo tentari

præsumatur ammoneo. Sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis , si quidem parentes ipsius , proximi , vel heredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint , accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi omni modo prohibemus ; ne , quod valde in religiosum est , aut venalis , quod absit , dicatur Ecclesia , aut vos de humanis videamini mortibus gratulari , si ex eorum cadaveribus studetis quærere quolibet modo compensandum.

De eadem re. *Ex Concilio Meldensi*
cap. LXXII.

C X X III. Ut nemo quemlibet mortuum in Ecclesia quasi hereditatio jure , nisi quem Episcopus aut Presbyter pro qualitate conversionis aut vitae dignum duxerit , sepelire præsumat ; nec quisquam ossa cuiuslibet mortui de sepulcro suo eicere , aut sepulturam cuiusquam temerario ausu quoquo modo violet , sed unumquemque in loculo sibi à Deo parato atque concessò adventum sui judicis præstolari concedat ; maximè cùm non solùm divinæ leges , sed etiam & humanæ , apud humanam rem publicam sepulcrorum violatores reos mortis dijudicent. Sed & neque pro loco sepulturæ , ut verbis sancti Gregorij utamur , pretium de terra concessa putredini quærere & de alieno velle facere luctu compendium aliquo modo tentent. Si quando autem proximi vel heredes sponte aliquid offerre in Ecclesia voluerint in elemosyna defuncti , accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi

Capitulare
Theodulfi c.
9. Riculf. c.
19. Ahytonis
c. 23.
Burchard. lib.
3. c. 158.